

Georg Radow

**Rector Universitatis Rostochiensis Georgius Radovius I.U.D. Prof. Publ. ad deducendum frequentibus exequiis immaturum funus ... Puellulae Sophiae Beatae Sibrandiae, Quod Tristissimi eius Parentes Ipsi hodie paraturi sunt, Omnes omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Keilenbergius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774760079>


Druck Freier  Zugang




**R a d o v, G. ,**  
in  
**S. B. S i b r a n d.**

**R o s t o c k, 1 6 8 1.**

2.







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
GEORGIUS RADOVIUS

J. U. D. Prof. Publ.

163

ad deducendum frequentibus exequiis  
immaturum funus

SCITISSIMÆ PUELLULÆ

SOPHIÆ BE-  
ATÆ SIBRANDIÆ,

Quod

Tristissimi ejus PA-  
RENTES



Ipsi hodiè paraturi sunt,  
Omnes omnium Ordinum Cives Aca-  
demicos comiter studioseq; invitat.



ROSTOCHII,  
Typis Viduæ B. FRIDERICI KEILENBËRGII, Universit. Typogr.  
ANNO 1681.



Imirum pendet ab  
origine finis, & quæ primâ  
videbantur specie læta, ex-  
itu fiunt lugubria, surgente  
scœpius medio de leporum  
fonte tristi aliquo & sub-  
amaro. Antiquorum mos  
erat, recensente Plutarcho  
*in Pompejo*, ut lætum nuncium lancearum cuspi-  
dibus lauro rectis significarent; abblandiatur licet  
florida natalis diei læticia, latet cuspis in eâ morta-  
litas, ut oruenter, ut vulneret, perimatqve. Malè  
rationem subducunt, qui huic se subducere posse  
cuspidi rentur, vividæ nimium confisi lauro, in ortâ  
acquiescentes vitâ, latentis obliti fragilitatis thyrsi.  
Perit nobis illa, dum eam deperimus: & minus  
possidetur, quò plus amatur. Vix exilit, cum resi-  
lit, vix oritur, cum emoritur, vix spirat cum expi-  
rat, vix incipit, cum esse desinit, nec ullus istius se-  
mel decreti datur exitus exitii. Nulla hîc com-  
perendinatio, nullæ induciæ, nulla mora. Flam-  
ma moritura in fumum desinit, Lucernæ lux fit  
caligo; & ipsa vitalis facula inopinis scœpè & spif-  
sissimis obtegitur tenebris, in caducum desinens  
vaporem tunc, ubi victuro splendere videbatur  
jubare. Lethi ac læti magna nominum est cogna-  
tio, sic uti vix duo ista discrimines audita: Magna  
qvo-

quoque est rerum cohærentia, quod lætum opi-  
naris letum est, quod vitam vitæq; vehiculum,  
mortem invehit: simile animalculis quorum ab  
ortu interitus incipit, nec ultra diem æstivum vi-  
tam extendentibus. Ceterum ut accidit in bilan-  
ce, quò vergit magis ad ima pars una, eò sublimius  
fertur altera, uniusq; depressio est alterius elevatio;  
Haut aliter hîc fit; ima hæc deserit anima & sub-  
limior evadit, dum corpusculum morbus, morsq;  
invadit, in sublime fertur mens, ubi fragilis illa ter-  
reni corporis casula suas fert infirmitates, sua subit  
gaduicitatis fata. Fluctuante videlicet isto nostro  
corpusculo, & obruto ærumnis, doloribus, ceteris-  
que mortalitatis satellitibus, qui penè domum est  
ingressus

*Hospes comesq; corporis,  
Animula vagula blandula,*

velut in illuvie post magnos imbres, cum pavi-  
mentum vestivit unda, convalat supellectilem,  
componit sarcinulas, refugiturus ad superiora do-  
mus habitator, ubi naufragante solo clementiori  
minusq; severo utatur dio; Sic anima super mor-  
talia tecta se totam colligit, spiritum se proditura,  
dum despecta corporis deserit, ascendens quò non  
ascendat dolor, ipsumq; emoribundi corporis fa-  
tum. Translata est eò salutari omine suavissima  
animula Tenellæ bellissimæq; puellæ SOPHIÆ  
SIBRANDIÆ, quæ & ipsa, sex ante & quod excur-  
rit



rit hebdomadas, exultantibus tunc impendiò pa-  
rentibus natæ, iisdem jam luctuosissimis denata,  
occultam sub lauru vitæ, necis celerrimæ cuspidē  
sensit, vix spirans respiransq; accepto vitæ spiritu,  
qvum istum ad celestia, eaq; solidiora adspirans  
gaudia, Deò conditori suo redderet. Edita est ea  
hanc in lucem die vigesimo octavo elapsi mensis  
decembris anni superioris Patre qvidem Viro No-  
bilissimo Excellentissimo & Consultissimo Domino  
JOHANNE SIBRANDO J. U. D. & Prof. Publ. ce-  
leberrimo, Amico, Affine & Compatre nostro ho-  
noratissimo; Matre verò Feminâ omni laude, qvæ  
eum addecer sexum, florentissimâ pariterq; nobi-  
lissimâ BARBARA Karstiens. Avum nacta pater-  
num, Virum Nobilissimum & Consultissimum Dn.  
HENRICUM SIBRANDUM J. U. D. & Nobilissi-  
morum Statuum Mecklenburgicorum Syndicum  
dexterrimum; Aviam autem insignis exempli &  
pudicitiaë Matronam CATHARINAM Deutsche.  
Avus ipsi extitit maternus Vir Nobilissimus, Am-  
plissimus & Consultissimus Dn. Joachimus Karstiens  
J. U. D. Sereniss. item Principis ac Domini, Dn. AU-  
GUSTI, Saxonix, Angarix, & Westpalix Ducis  
gloriosissimæ memoriaë Cancellarius qvondam  
spectatissimus, dein qvoq; liberaë imperialis Civita-  
tis Lubecensis Syndicus primarius. Avia verò ma-  
terna Feminarû Ornatissima ILSEBE à WICKEN  
è notissimâ Patriciorum Lubecensium familiâ ori-  
un-

undam. Proavo gaudet paterno Viro Nobilissi-  
mo & Consultissimo DN. JOHANNE SIBRANDO  
J. U. D. & Profess. Codicis in hac nostrâ Academiâ  
excellenissimo, Syndicò item hujus Civitatis grâ-  
visimo. Proaviâ maternâ Feminarum laudatis-  
simâ ANNA SCHILINGIA Consulis quondam hu-  
jus civitatis primarij Filiâ unicâ. Proavus mater-  
nus ipsi fuit Vir Amplissimus & Consultissimus  
DN. NICOLAUS Karstens / Consul Reipublicæ  
Salzwedelenfis meritisimus, ex alterâ lineâ Vir  
Amplissimus & Spectatissimus DN. THOMAS à Wi-  
tten / Senator & Camerarius Lubecensis præclare  
meritis. E celebri hac prosapiâ suos deducens  
natales BEATULA nostra, statim ubi in hanc lu-  
cem prodiit, ad meliorem regeneranda vitâ, salu-  
tatibus sanctissimi lavacri aquis fuit aspersa, eius  
ulteriori arbitrio & gratioso commissa præsidio,  
qui parvulorum teneris desiderio, & qui non con-  
cessurus, eam fluxis & evanidis hujus seculi rebus  
implicitum iri, aut seculi semper in deterius ruen-  
tis maleferiatis contaminari moribus, citius ad se  
recepit meliori eam habiturus loco, sanctiorique  
eam insinuaturus contubernio. Sed quo morbi  
genere invalentior FUNCTÆ fuerit conditio,  
lubet non tam nostris quàm ipsius Medentis  
Viri Clarissimi & Experientissimi DN. BERN-  
HARDI BARNSTORFFII Med. D. & Practici  
Eximii verbis expedire, ita igitur ille:

Sua

*Suavissima Virguncula Sophia Beata, Nobilissimi & Con-  
sultissimi DNI. JOHANNIS SIEBRANDI J.U.D. & Prof. publ.  
Filiola mellitissima, statim post egressum ex Utero materno ce-  
pit laborare Catarrho, copiosè non tantum ad nares, verum et-  
iam ad pulmones delabente, qui varia eaque gravissima secum  
adduxit Symptomata: Nares quippe à materià pituitoso-fero-  
sa, cui sepiissime purulento-Sanguinea intermixta conspiciebatur,  
obstructæ, omnem respirandi transitum denegarunt; unde fa-  
ctum, ut, ad vitandum periculum suffocationis, quoties sitim su-  
am sugendo lac ex nutricum mammis lenire desideraverit, toties  
papillam alternatim prehendere iterumque dimittere coacta fu-  
erit. Hec eadem materia in Pulmonem & Arteriam asperam  
incidens, aut in ea p. n. contenta, Tussum, tenellum corpus insi-  
gniter concutientem, excitavit. Causa itidem existit reliquo-  
rum concomitantiam affectuum, Distensionis, puta ventris infe-  
rioris, ploratus frequentioris, terroris inter dormiendum, & vi-  
giliarum nimiarum: qui quamvis, post usum externorum quo-  
rundam medicaminum remittere viderentur; mox tamen re-  
crudescere ceperunt, accedente adhuc alio longe periculosiore Sym-  
ptomate. Vocatus namque hora tertia matutina d. 13. Febr.  
non sine magna consternatione juxtaque commiseratione con-  
spexi, Epilepsiam in tenello hocce corpore amplissimum noctam  
imperium, in plerasque systematis nervosi partes tyrannidem  
exercere: notabantur quippe oculorum inversiones & contorsio-  
nes, musculorum temporalium & buccinatorum palpitationes  
cum labiorum tremore, tendinum contractiones, excrementorū  
alvi viridiū excretiones, respirationis nec non deglutitionis dif-  
ficultates maxime, & pallor faciei cadaverosus. Prescripsi quidē  
& adhibui varia tam interna quam externa medicamenta, quo-  
rum tamen omnium usus prorsus fuit frustraneus, nam sevitia &  
violentia morbi tantum sumpserat incrementum, ut circa horam  
septimam matutinam, ejusdem diei, viribus omnibus prostra-  
tis, molestissimorum Symptomatum finem placidissima mors im-  
posuerit.*

Ne-

Neque enim diu incolumi gavisæ est valentiorive forte Tenellula nostra, sed cum graviore quodam imbecillitate conflictata paroxysmo, placidissime tandem ipsa Dominicæ Quinquagesimæ, circa septimam matutinam, spiritum posuit, obdormivit, metasque dati pervenit ad ævi, non levi, non proletario cum suorum luctu. Enimvero MÆSTISSIMI PARENTES, licet supremum parentalium humanitatis officium vester elargiatur moeror mellitissimæ Vestræ Filiolæ, insimul cordi habebitis, id sollicitè agere, ne limites, ne modum is ipse excedat, quem observantia Numinis requirit. Inefficaces sunt, quibus ora foedatis, lacrimæ: inanis est, quo spiritum fatigatis vestrum, cruciatus. Mortalem Vos genuisse uti probè nostis, ita reminiscimini amplius, nec ereptam VOBIS, sed receptam abs DEO esse, quam precario dederat ille & commodati titulo filiolum. Reddite depositum, scientes, quo pacto cum illo contraxeritis, dictam scilicet conditione, ut cum visum esset ei, restitueretur. Boni patres familias pecuniam, quam in diem incertam data est, semper in promptu habent. Quis ille tam ingratus fuerit debitor, qui appellanti faciat convitium, & agrè ferat, usum sibi intercepti, nec concedi diutius rei gratuita, nec in aliam legem datæ, quam ut aliquando rediret illuc, unde devenerat. Posita nunc illa extra variantis fortunæ ludibria res humanas ex alto despicit, & incogitabili perfruitur æternumque dulcissimam beatitudine. Sublevet anxiam mentem, gravitatemque doloris constantior fiducia, quam de æternam olim vestram in celis conjunctione, & perenni conventu piissime fovebitis. Penset interea hoc caliginosum moestitudinis nubilum, vestris obortum mentibus, hilariori sereno, vestrosque gaudio perfundat jam tristitia flaccescentes animos, is, qui potentissimè mortalia dispensat, unicus humanarum stator moderatorque rerum Deus.

Cum

Cum verò hodiè tenellum funus  
Conditorio sit inferendum suo, Vos  
CIVES ACADEMICI omnium or-  
dinum honoratissimi, haud gravabimi-  
ni id ipsum eò frequentes comitari, si  
vel & inde Afflictissimis parentibus nō-  
nihil subnasci queat solaminis, quod i-  
psum uti lubentes faciatis, humanissimè  
diligenterque invitamini.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus,  
d. XVIII. Febr. Anno salutiferi parttus  
M DC LXXXI.

Convenietur in Æde Nicolaitanâ  
hora I. Pom.













undam. Proavo gaudet paterno V  
 mo & Consultissimo DN, JOHANNE  
 J. U. D. & Profess. Codicis in hac nost  
 excellentissimo, Syndico item hujus  
 visimo. Proaviâ maternâ Feminaru  
 mâ ANNA SCHILINGIA Consulis o  
 jus civitatis primarii Filiâ unicâ. Pr  
 nus ipsi fuit Vir Amplissimus & C  
 DN. NICOLAUS Rarstems / Consul  
 Salzwedelenis meritisimus, ex al  
 Amplissimus & Spectatissimus DN, T  
 cken / Senator & Camerarius Lubece  
 meritis. E celebri hac prosapia su  
 natales BEATULA nostra, statim ul  
 cem prodiit, ad meliorem regenerar  
 tatibus sanctissimi lavacri aquis fuit  
 ulteriori arbitrio & gratioso comm  
 qui parvulorum tenetur desiderio, &  
 cessurus, eam fluxis & evanidis huj  
 implicatum iri, aut seculi semper in d  
 tis maleteriatas contaminari moribu  
 recepit meliori eam habiturus loco,  
 eam insinuaturs contubernio. Se  
 genere invalentior FUNCTÆ fue  
 lubet non tam nostris quam ipsi  
 Viri Clarissimi & Experientissimi  
 HARDI BARNSTORFFII Med, I  
 Eximii verbis expedire, ita igitur ill

